



Nr 1 8<sup>o</sup> li. 1

kom. 2018v







Kemora proz. 63r

1851  
1852  
1853  
1854  
1855  
1856  
1857  
1858  
1859  
1860  
1861  
1862  
1863  
1864  
1865  
1866  
1867  
1868  
1869  
1870  
1871  
1872  
1873  
1874  
1875  
1876  
1877  
1878  
1879  
1880  
1881  
1882  
1883  
1884  
1885  
1886  
1887  
1888  
1889  
1890  
1891  
1892  
1893  
1894  
1895  
1896  
1897  
1898  
1899  
1900

~~1609<sup>m</sup>~~

Nr 1.

80

11  $\frac{1}{4}$  Nunci Apostolici }  
11  $\frac{1}{2}$  Legati Gallici } Orationes pro Comitij Electionis 1674. habita  
11  $\frac{3}{4}$  Legati Lotharingici }

14  $\frac{1}{4}$   $\frac{1}{2}$  Oratio ad Poloniam Candidator. Latine et Germanice.

14  $\frac{1}{2}$  Ioan. III. Merita erga Remp. explicata. Lat. et Germanice.

Idem scriptum in Lingua Germanica.



1. Apologia pro Januſio Duce Radivilio.
2. Maniſeſtatio innocentia Hieronymi Radziejowski.
3. Actus Abdiſcationis Joannis Caſimiri.
4. Cenzura Candidatorum Sceptri Polonici.
5. Comitia Warſowica de eligendo Polonorum Rege.
6. Conſilium pro redinte grando Polonorum Regno.
7. Examen Sarmaticum Floriani de Gury Gurski.
8. Caſimiri Zawadzki gloria Orbi Sarmatico monſtrata.
9. Ejuſdem Tractatus ſuper advertentiam defectuum in
10. Proteſtatio et Regi Pol. à Legatis Brandenburghicis exhibita. (ſpiciendis hypem Sannati)
11. \* Cancellaria Regni Poloniae de monſtratio Cancellaria (ſpiciendis hypem Sannati)
12. Orationes tres habitae in Conſeſſu Reip. Pol. pro (ſpiciendis hypem Sannati) <sup>Brandenb. Declaratione</sup> (ſpiciendis hypem Sannati)
13. Diſcuſſus ſuper Principe Daniae Georgio (ſpiciendis hypem Sannati)
14. Genealogica deductio Regis Daniae Chriſtiani V. et Chriſtiani Georgii (ſpiciendis hypem Sannati)
15. Reſponſio Nicolai Ziemiecki ad ſamoſum libellum contra Patres (ſpiciendis hypem Sannati) <sup>Societatis Jeſu in Polonia</sup>
16. Patrocinium Veritatis literarum Torunenſium.
17. Stan. Lochowſki Proceſſus judiciarius granicialis Regi (ſpiciendis hypem Sannati)
18. Synodus Provincialis Gneſnenſis Provinciae.
19. Ioan. Bytomſki Obſidio Zamoſcana.
20. Relatio glorioſiſſimae expeditionis Joannis Caſime
21. Typus proelii cum Coſacis.
22. Conditiones Pacis inter Moscovia Duem et Regem Poloniae.
23. Chriſtoph. Warſewici Oratio, ad Stephanum Regem Pol.
24. Wilmanni Oratio ad Regni Pol. Senatam.
25. Szemo in Coronatione Ludovicae Mariae.
26. Cenzura ad Panegyricum in laudem Guſtavi Adolphi.
27. Conſtitutiones Livonicae.
28. Epistoła dua Historica. (urbem Sigeſam concernentes)
29. Szlachcie do Szlachca o wzywie Kozackiey.
30. Lekarstwo na uzdrowienie Rzeczy poſpolitay.

- 31. Relation von Könige Michaelis Kröning.
- 32. Prodomus Apolegetici. Elia Conf. de Trewen Schröder contra Joh. Fr. Lerdy.
- 33. Bartholomaei Disertatio de Idololatriâ Prusorum.
- 34. Eisdem Disertatio de Antiquâ Prusorum Republ.
- 35. Godofredus Weissius de Cosacis.
- 36. Joannis Licinijs Namyslovius ad Fratres Ministros Evangelicos pro incuria Concordia Parochialis lat. et pol.
- 37. Braterzkie napomnienie ad Diffidentes in Religione.
- 38. Copia literarum quibus Diffidentes in rebus fidei ad fraternam reconciliationem invitantur.
- 39. Charitativi Colloqui consilia Secretiora.
- 40. Copia literarum quibus Curandis Princeps Regis Pol. ad Colloq. Chantaburium invitatores respondet.
- 41. Catholicorum quorundam iudicia de reconciliatione in Polonia Diffidentium impossibilitate.
- 42. Extractum literarum concernentium persecutioes Evangelicorum per Poloniam.

*Samuel Przypcorius, Eqp. Polon. Arrianus hujus Scripti Auctor, vid. Sand.  
Bibliothel. Ant-Trinitarian. pag. 124.*

# APOLOGIA

PRO

ILLUSTRISSIMO AC CELSISSIMO  
PRINCIPE

# JANUSSIO

DVCE

# RADIVILIO,

SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPE,  
DVCE BIRSARVM ET DVBIN-  
CORVM &c.

quondam

# PALATINO VILNENSI,

ET

EXERCITVVM MAGNI DVCATVS  
LITHVANIÆ SVPREMO

# GENERALI.



POLOGIA

PRO

INSTITUTIONE CLASICO

PRINCIPALIS

JANUARIUS

EXXVI

XXXXVII

DOCTORVM AMPLISSIMO

CORVM

ORDINIS

PAULATINO VINCENSIS

ET

EXERCITVM MARIAE

LITVONICAE

GENERALIS





## ERCULEÆ

virtutis opus est,  
pugnare cum monstris  
ac belluis. At nulla po-  
pulo bellua immanior,  
nullum horridius &  
horribilius monstrum,  
illius invidiâ. Quæ pestis  
nunquam mediocri inter mortales virtuti infesta  
est. Magnos semper animos, & communis sortis  
metas egressos, aggreditur: nec vulgari aut quoti-  
dianâ virtute domanda est. Luctatos cū eâ videas,  
ab omni ævo, tot Semideos Proceres, nec omnes  
ubiq; aut semper, aut certè statim ac facillè, funestâ  
ejus vim eluctatos. Quod si non parvam vim ne-  
gotii sibi creant, qui inusitatæ virtutis eminentiâ,  
sævisimum hoc monstri genus laceffunt; non mi-  
noris profectò molis inimicitias suscipiunt, qui pro  
livido dente admorsâ illustrium virorum existi-

matione, vocem mittere, audent. Nec hostiliùs in-  
vidiæ furor erumpit, adversò ipsam virtutis excel-  
lentiam, quam contra ejusdem patrociniùm; nec  
rabiòsius ipsos Heroas, quam eorum defensores,  
allatrat, quò pauciores passim vera laus & inno-  
centia inveniat advocatos. Cæterùm ut nihil est  
tam ferum & indomitum, quod non virtutis ro-  
bore frangi possit, ita nihil tam caliginosâ menda-  
cii nocte sepultum, quod non tandem clarissimâ  
veritatis luce effulgeat. Quò minus trepidandum  
est iis, qui eximie virtutis conscii ac testes, adver-  
sus factiosè conspirantis vulgicalumnias, testi-  
monium in publico dicere cunctantur: magisq;  
enitendum, ne pluris viles ac plebeias linguas, aut  
stolidæ turbæ censuras, quam posteritatis judicia  
æstiment. Non eas res gessit Illustrissimus quon-  
dam inelytæ memoriæ Princeps, Palatinus Vilen-  
sis, Supremus Exercituum M. D. L. & Generalis  
Præfectus, quas aut fugientis ævi lapsus oblivione  
delere, aut invidorum malignitas, atro loliginis  
succo decolorare possit. Tanti nominis morden-  
di rabie æstuans infelix livor, diduxit obscænos  
riktus, non alio operæ & impotentis odii pretio,  
quam ut avidè impressum & offensum solido  
frangeret genuinum. Nam ut virtute validiùs, ita  
veritate duriùs & durabiliùs nihil est; & utriusq;  
hostes, non tam firmis dentibus Natura instruxit,  
ut

ut quæcunq; arrodere audent, perfringere possint. Non tamen omnia, quæ aut pro innocentia Principis, aut adversus Criminatores dici possunt, in medium producemus. Plura fortassis aliis narrantibus, scire aut legere posteritas poterit. Nos eâ moderatione defensionem præsentem exequemur, ne quisquam etiam eorum qui accusari meruerunt, lese accusatum à nobis, meritò queri possit; nisi forte obstinatâ innocentiae criminatione, semetipse ultrò ictib<sup>9</sup> ac telis defendentis objecerit, aut in diluendis insonti objectis, propter adhibitum à nobis inculpatæ tutelæ moderamen, sibi minime satisfactum esse putaverit. Fatemur enim longè evidentiozem esse innocentiae causam, quoties afflicta cuiuspiam culpa, in verè nocentibus, digito ostenditur, quam cum duntaxat ab innocentibus removeretur. Nobis tamen, in neminem nominatim publicorum malorum culpam conferre, propositum est; ne quis alius nobis irasci possit, nisi qui sub nomine suo, & palam coargui, h. e. imprudens de semetipso aliquid ultrò confiteri voluerit. Ergò quamdiu insontium causa, absq; isto patrociniî genere defendi poterit, fontes non substituemus. Quod si qua nobis hominum importunitas, transferendorum in malè meritos criminum, necessitatem extorserit, nullâ provocati culpâ provocâs vapulabit.

bit. Provocantem autem intelligo, non venalem & mercenarium calamum, sed emptorem calamum, in cuius rem stringetur. Causa nobis etenim, eversa proximo bello Lithvanix dicenda est. Dicenda autem in publico Europæ theatro audiente Orbe ac posteritate. In quo negotio, causæ quidem evētuum nonnullæ, & consiliorum aut rerum gestarum origines, premi aut taceri nequeunt, quippe non ita obscuræ ut supprimi possint. Homini-bus tamen quantum per ipsosmet licuerit, à nobis parceretur; ne, qui latuisse poterant, in lucem inviti protrahantur. Vnâ in re defensio nostra descendet ad singularia; ut à proximè nominato Illustrissimo Principe, omnem vel minimam calamitatum, publicarum culpam, removeat & amoliat. Nec enim simplici criminationis genere in fontem appetit invidia, Sed primum apud imperitos, publicum & fatalem Patriæ casum, trahit ad privatam bellicæ virtutis ignominiam. In quo cum sapientioribus, ac rerum gnaris imponere nequeat, mox horribili calumniâ intactam ullâ suspitione fidem Principis adoritur, eamq; clandestini cum hostibus consilii & collusionis insimulat.

Verumq; Criminationis genus separatim refellere aggressi, à priori ordiemur. Quid enim est in quo ruenti Lithvanix Ducis hujus virtus, aut industria, aut extremi conatus contentio defuerit?  
quid

quid ex prosperis non summo consilio? quid ex  
adversis non summâ necessitate susceptum? quid  
non ab eoritè atq; ordine factum, & pari fortitu-  
dine atq; prudentiâ perfectum est? Regrediamur  
in ipsa Servilis belli primordia. Concussio primùm  
in extremis Verainæ oris Regni Polonici limite,  
cùm eodem tempore orba Supremo Principe Re-  
publica, non levi indigeret præsidio; quid non per  
summum periculi contemptum tentatum est, ne  
Princeps hic (qui pænè unus tunc cum imperio  
erat) ullo publico milite succinctus esset? Ast præ-  
sentissimum discrimen aderat, ac metus à plebe  
Russici generis, quæ pænè sola (paucissimis terra-  
rum angulis exceptis) totum, quâ patet, Lithvaniæ  
corpus occupabat. Et coortum atrox in Verainâ  
incendium, in contiguam Magni Ducatus vicini-  
am Russici belli favillas jaculabatur, quo mox non  
extrema tantum Albæ Russiæ latera, sed penitiora  
Lithvaniæ, usq; ad Brestensis urbis calamitatem,  
conflagrarunt. Tam cæca tamen fuit Civilium  
contentionum æmulatio, ut dum domesticis Ci-  
vium incrementis aut gloriæ obstaret, oculos ad  
externum & commune periculum non adverte-  
ret; atq; ut unus militiae Dux inermis esset, univer-  
sam Lithvaniam publico milite exarmare conten-  
deret. Et nisi privato Principis impendio huic ma-  
lo maturiùs obviam itum fuisset, sera profectò aut  
rarda

tarda fuissent publicæ defensionis præsidia. Sed  
quàm in prospiciendo discrimine solertem ac  
providum; tam in comparando Exercitu prom-  
ptum, & in improvise bello profligando stre-  
nuum Ducem hunc, experta est Rebellionum tero-  
cia. Is enim primùm in absentia Illustrissimi Ducis  
Boguslai, per submissum opportunè præsidium,  
repulsâ ab Urbe Slucensi; mox in Pioscensi muni-  
cipio, per Gregorium Mirscium Excubiarum Mag.  
Duc. Lithvaniæ Præfectum, concisâ maximâ ho-  
stium manu, nihil afflictam fortè valetudinem,  
nihil iniquius tunc anni tempus moratus, unâ ex-  
peditione universam è totâ Lithvania Rebellionē  
ejecit. Nidificaverat fortè hostis, in locis Polesiæ  
inaccessis. Hunc brumæ opportunitate usus, & in-  
via lacustris Provinciæ, per congelata paludum,  
in offenso cursu peragrans, è cubilibus latrocinio-  
rum passim pepulit; ut quicquid illic turbidi esset  
in oppidum Mozyrense cõflueret, atq; unâ expu-  
gnatione deleretur. Cumq; in proximâ isthic Lith-  
vanici juris orâ, nihil ultrâ propemodum hostili-  
um virium ad Borysthenem usq; superesset, flexit  
illinc ad interiora Lithvaniæ, ubi malum recens  
serpere cæperat, & Bobrujsco occupatâ, ac Ducibus  
seditionis supplicio affectis, reliqua nutantis  
Albæ Russiæ oppida, partim deditioibus recepit,  
partim admoto propiq; exercitu, in fide atq; obse-  
quo

quo continuit. Ita non toto bimestri spatio temporis, quantum inter Brestiam & Borysthenem, terrarum interjacet, per quadringenta circiter passuum millia in longum, dimidio ferè minori latitudine extensum, incredibili celeritate pulsus rebellibus, perdomitum est & pacatum. Et eo quidem successu, ut captâ ab eo tempore, & partis mox illustribus victoriis continuatâ pace, usq; ad proximam Moschorum irruptionem, tota (quanta est) Lithvania, sub clypeo virtutis Radivilianæ fruere turac requiesceret. Nec alia subsequenti-  
bus annis belli cum Cosacis sedes, quàm aut in extremo circa ripas Borysthenis limite, aut longè ultra Lithvaniæ fines in hostico fuerit, cum non nullæ è vicinis Provinciæ bellum altiùs intrâ viscera receperint. Sequitur æstiva Anni noni suprâ Millesimum Sexcentessimum & quadagesimum expeditio; in quâ seu paucitatem Copiarum, sive rerum gestarum magnitudinem, sive in subitis quoq; casibus expediendi consilii celeritatem respicias, editum est à Principe artis Imperatoriæ specimen memorabile. Præcipiti & improvisâ hostium festinatione, cum modicâ ter Millium militum manu, in Castris ad Lojovum deprehensus, atq; hinc cis Borysthenem ad triginta Millium Criceviani exercitus multitudine circumfusus, illinc ex hostilibus trans amnem munitionibus

non paucis hostium millibus trajicientibus, cominus oppugnatus, eâ animi præsentia & fortitudine quinque; diversis, uno die, locis cum hoste conflixit; ut non modò propemodum triplo majoribus suis. vincentibus numerum hostium in acie sterneret: sed ipso (quanquam seminece) Duce hostium capto, tantæ molis turbam, sparsim disjectam, nusquam in vestigio consistere, aut in unum colligi passus fuerit. Incidit hujus victoriæ opportunitas in illud tempus, quo flos militiæ Regni, unâ cum præcipuis Ducibus, ad Arcem Zbarassium, ab immani Rufforum & Tartarorum multitudine, acerrimâ oppugnatione premebatur. Et nisi tunc Serenissimus Rex. CASIMIRUS periculoso intrepidæ virtutis ausu, cum mediocribus Copiis præsentissimo solvendæ obsidionis discrimine sese objecisset, de tot fortissimis viris actum fuerat, & Regni Copiarum flos ac robur perierat: Sed collatis de propinquo Castris, datisque & acceptis mutuis vulneribus, Regem inter & Tauricanum de pace agi captum est, & recens allatus acceptæ ad Borysthenem cladis nuncius, non exiguum hosti ad transigendum stimulum addidit. Tunc quoque vigilantia Ducis Radivilii factum est, ut Lithvania extra omnis belli damnum ac pænensum, nec tamen extra victoriæ fructum fuerit.

Brevem

Brevem Anni, post Millesimum & Sexcentisimum, quinquagesimi quietem, resumpti Anno sequenti belli excepit incendium. In quo auspiciatò sumptis ab eodem Principe armis, repulso ac proturbato proculà limite bello, Lithvania extra Lithvaniam gloriosè defensa est. Rerum tunc ac locorum difficultas consilio superata ac propè expugnata est, ac citrà ullam fidei labem, propriâ Ducum arte circumventus hostis. Fracta claustra hostium & perrupti Borysthenis obices, capta sine sanguine in adversâ ripâ Munitio, transportatus invito ac gemente hoste ultrâ amnem exercitus, protritibus acie Dux hostium Nebaba, eodem, quo cæteri ferè omnes cum Principe congregari ausi, fato, vitam pugnando amisit. Terror hinc improvisus, atq; arma perintima hostium penetrantia circum ferri capta. Sed Arx belli Kiovia, duobus hostium Ducibus (& ipsis quoq; paulò ante acie pulsis) infessa; Principem iterum retrò ripæ Borysthenis admovit. Ergò ducit ad Urbem, præcipuum hostium domicilium & sedem, tot nostrorum spoliis & cladibus ovantem. Nihil victori inivium, dilapsis hostium præsidariis, veniam petit Kiovia supplicans, & impetrat. Illic paululum militiae Regni Duces, qui conjunctionem armorum obstinatis precibus flagitabant, præstolatus, post sociatos Exercitus, ubi pri-

mum in conspectum hostium ventum, non im-  
prospero successu, nec dubiâ spe patrandi belli,  
victoria signa in adversam aciem inferre cæperat,  
nisi sociis Ducibus, præ victoriæ fiducia, cauta  
potius & incruenta pax placuisset. Secuta igitur  
transactio, anterioribus pactis, longè æquior: &  
bellum post quadriennem tumultus tempestatem  
possuisse videbatur. Quod tamen Anno sequenti,  
abruptâ pactorum fide, & immanî nostrorum,  
in Ucrainâ cæde patrata, recruduit. Recens im-  
provisi vulneris dolor, promptum atq; acre posce-  
battalionis supplicium, Sed cum sufficiens stipen-  
diarii militis copia ad manum non esset, evocan-  
dæ in publicam Expeditionem Nobilitatis neces-  
sitas urgere videbatur, quod nuper in Berestecensi  
victoriâ remedium hoc Republicæ prosperè ces-  
serat. Illic enim Serenissimi CASIMIRI Regis,  
evocata Nobilitatis robore succincti, ac more  
Majorum præsentis, invictâ virtute atq; auspiciis,  
ingentis triumpho decus partum erat. Nempe post  
paucorum dierum experimentâ, explicatâ utrinq;  
ad prælium acie; actus in præcipitem fugam, cum  
numerossimo equitatu Tartarus; disiecta Cosa-  
corum acies ac Duce fugiente destituta, agrè sub-  
itâ priumum carragine, deinde extemporaneo val-  
lo sustentata, post brevem obsidionē tolleratam,  
clam, per paludum uliginem, memorabili ad po-  
steros

steros commento factâ sibi perviam, evasit. Cùm  
tamen tunc tota ferè gens Rebellium, non longi-  
us ab internecone, quàm obsidentium robur, ab  
obfessi valli viciniâ aut expugnandi spe abfuisset.

Verùm post acceptam ad Batohum cladem,  
fonticus Regiæ Majestatis Morbus, hujus remedii  
usum abstulerat. Hinc factum, ut ingruentis belli  
moles in proximum Annum devolveretur. Erat  
is præsentis Sæculi tertius & quinquagesimus, quo  
Transylvani machinis excitatâ prodicione, mox  
armis & violentiâ detrusus Principatu Moldaviæ  
Basilius, conjugis & liberorum salutem Sozaviæ  
munimentis agrè tuebatur. Huic in auxilium,  
Chmielnicii filius, & matrimonio recens perviam  
extorto, Basili gener, cum mediocri Cosacorum  
manu advolaverat. Pacta nobis inde ex Senatus-  
Consulto cum Transylvano, tanquàm adversus  
communem hostem, fædera, destinatum in Cosa-  
cos exercitum Moldaviæ finibus admoverunt.  
Jamq; & Cosaci Tartariæ societatis, ceu non pa-  
rum damnosæ, pertæsi, ad Moschicum patrocini-  
um respectare, & Moschus in nos simultatum an-  
sas undiq; captando quærere ceperat. Documen-  
to fuit missa ad Serenissimum Regem, Leopoldi  
tunc iter ad exercitum, cujus mentionē fecimus,  
apparantem, solennis Legatio. Sed Legationis ejus  
non minus iniqua & arrogancia postulata fuere,

quàm petulans ablegatorum insolètia, quàcunq;  
incederent, passim illatis hospitiibus injuriis ac  
violentis, captatam in obtentum belli talionem  
provocantium. Nihil eorum Duci RADIVILIO  
ignotum, aut inexploratum fuit. Qui cum videret  
hinc non dubiâ fraude Moschum Lithvaniæ im-  
minere, inde Cosacos cum eo colludere incipien-  
tes, illic autem exercitum Regni, procul ad Au-  
strum remotum, extra omnem subsidii sibi adver-  
sus Moschum ferendi facultatem & copiam, im-  
mensis locorum divortiis arceri, maturè circum-  
spicere coactus est, ne quid illâ tempestate creditæ  
armis suis Lithvaniæ Status detrimenti acciperet.  
Non latebat eum, si cum mediocri quæ præsto erat  
manu Borysthenem trajecisset, alterutrum ipsi  
metuendum fuisse; ne aut, dum trans tot flumi-  
num ac locorum difficilium trajectum, in hostilis  
ditionis interiora penetrat, intereà Moschicæ irru-  
ptioni nudam & inermem Lithvaniem invaden-  
dam relinqueret; aut reditu intercluso, inter Mo-  
schum & Cosacos medius, sine ullâ spe subsidii,  
non dubio exitii metu interciperetur. Proinde  
quod in præcipiti periculo unicum supererat, ex  
re præsentis ripæ Borysthenis insidendæ consilium  
capit, & castra ad Rezizam metatur. Loci impri-  
mis opportunitate invitabatur, quo nullus situ  
melior atq; commodior fuit, ad Moschi simul

a tq;

atq; Cosaccorum irruptiones, quas vel ipsâ traje-  
ctus difficultate morari posset, arcendas Illinc &  
alia hosti finitima oppida præsidis firmavit, &  
uni Smolenscensi urbi, duas præcipuas Exercitus  
sui Legiones adversus meditantem perfidiam  
Moschum transmittit; deniq; rebelles, undiq; à  
finibus ita submovit, ut in ditionibus Lithvanici  
juris, nusquam impunè vestigium posuerint. Et  
eo quidem Anno, paci atq; integritati Lithvanix  
satis prospectum videbatur, nisi contagiosa ad Re-  
zizam lues, (quæ ne mutatione quidem loci sisti  
potuit) viros pariter & equos depopulata, triente  
propemodum sui, exhaustas Ducis copias minuis-  
set. Cæterùm hæc jactura, sopito statim ad Came-  
neciam bello, imminentium per hyemem Comi-  
tiorum provisu non difficulter sarciri, imò verò  
ad novum & longè difficilium bellum nova & ido-  
nea præsidia, novæ & justæ vires comparari pote-  
rant (jam enim palàm renudatis animis & Cosaci  
ad Moschum desciverant, & Moschus rebellium  
patrocinium susceperat) nisi fatalis nescio quis,  
& offensi Numinis ità cælitus immissus animis  
hominum furor, Comitiorum illius temporis  
consilia abruptisset. Credet forsitan, sed inter pro-  
digia referet posteritas, in illo periculosissimo  
temporis articulo, inventos ex Ordinibus ad  
publica consilia delegatis, qui procurando publi-  
cæ

ex salutis præsidio intercefferint, & in Comitibus ad repellendam Patriæ perniciem ritè & ultimâ necessitate indictis, nihil decerni passi fuerint. Ille primû iectus de cælo datus Lithvaniam veluti periculo proximam, mox totam Rempublicam impulit in immane præcipitium. Non cladibus postea Exercituum, non deditioibus Urbium, non oppidorum direptionibus, aut vastationibus agrorum; sed eorum tunc vocibus ac linguis eversa est Respublica, quæ jugulum ejus nudum & obnoxium districtis hostium ensibus præbuerunt. Nempe illorum imprudentium ore, ultrix delictorum nostrorû, divinitus adversus nos pronunciabatur sententia, cujus postea executio per tot finitimarum gentium Moschorum, Svecorum, Tartarorum, Transylvanorum, Moldavorum, Austriacorum, & rebellium manus administrata est. At enim quid frustra in vicinos aut rebelles populos calamitatum nostrarum culpam conijcimus? Nullus externorum in nos hostilior iectus incidit, quam qui Tribunicis Civium linguis tunc impactus est. Imò verò nihil postea vulnerum accepimus, quod non intempestiva illa intercessio nobis inflixerit. Nam quid Lithvaniam primo discrimini objectam perdidit? quid supremû ejus militiæ Ducem exarmavit? quid Moscho Smolensciam, Polociam, Witepsciam, & florentissimam Albæ  
Russiæ

Russiæ provinciam, imò totam Ukrainæ oram,  
prostituit, & in manus tradidit? deniq; quid Sve-  
cis invadendi nostri animos & stimulos addidit,  
nisi inauspicata illorum Comitiorum destitutio,  
per quam stetit, ne utrumq; Regni & Magni Du-  
catus Lithvaniæ latus, idoneum haberet præsi-  
dium? Dimota tunc, & de summo suo gradu per  
abruptum ac præceps devoluta Respublica, binis  
subsequentibus Comitibus, neq; restitui, neq; susti-  
potuit, donec ad imum sterneretur atq; procide-  
ret. Sed Lithvaniæ præ cæteris provinciis velo-  
cius ac tristius tatum fuit, cui Moschus primùm  
totâ belli mole incubuit: neq; ullæ ad resisten-  
dum vires supererant, præter illas tot præsi-  
diis exhaustas, & noxiâ ad Rezizam lue diminuitas.  
Quapropter nulli magis noxium, magis injuri-  
um, & metuendum fuit facinus illud, quo tunc  
publicarum Consultationum exitus irritus effi-  
ciebatur, quàm Principi, cujus armis Lithuania  
defendi, cujus opposito pectore, tam paratus ac  
potens hostis, arceri debuit. Quò magis ambi-  
guum est, risunè vecordia, an indignatione digni-  
or impudentia fuerit eorum; quos abrupti Co-  
mitiorum conventus, culpam, in eum Ducem,  
conferre non puduit, cujus maximè omnium,  
intererat, ea desiderato exitu concludi. Scilicet  
is impedire sustinuit, ne sibi sufficiens ad resisten-

dum hosti exercitus decerni atq; instrui posset, cui præcipuum resistendi munus incumbebat. Credibile verò cuiquam videri possit, eum ipsum abrumpendis Comitibus dedisse operam, qui abruptis propè nudus ac semiermis armato & potentissimo hosti objiciebatur? sed quid argumentis aut conjecturis opus est? Nondum exolevit Conventus istius memoria, nec Sexennium istud omnes testes & conscios rerum extinxit. Neminem latet qui in ejus exitu, protestationibus factis, Comitiorum consilia disolverint. Non ad Historias, non ad Acta publica provocandum est. Extat in mentibus omnium recens & fixa recordatio, eosdem disturbandis illis Comitibus incubuisse, qui dignitatem hujus Principis toto Comitiorum tempore oppugnaverint. Procul igitur ab ejus criminis suspicione eum abfuisse necesse est, quod in acerrimis ejus inimicis palam deprehenditur; qui cum debitam ipsi Supremi Ducis dignitatem apud S. Regiam Majestatem eripere non possent, id unum tandem egerunt, ut istâ dignitate præfidiis suis exarmatâ, Dux absq; exercitu in ermis, ac propè vinctus ingruentibus hostibus dederetur. Post avulsas sub Sigismundo Augusto Rege à corpore Lithvaniæ, florentissimas & maximas, Volhoniæ, Kioviæ, Podlachiæ, Poléssiæ, provincias, nunquam Majores nostri cum Mo-

schis

schis bellum gessere; quin (etiam in Lithvanici juris ditione) totius Regni vires Lithvanis adungerent. Nunc imminente potentissimo Septentrionis Principe, qui per plura lustra factus in bellum apparatu, fiducia virium fretus, præsens tanquam ad exploratam victoriam veniebat, non modò Polonia, sed Lithuania ipsa, principio belli, ne unum quidem ad tantam potentiam propulsandam militem contulit. Quasi illa exigua, nec mittendis tantum, quàm qua versum præsiidiis, sed morbis grassantibus exhausta manus, quæ vix Colacis à limite arcendis sufficeret, ingruentem tantæ tempestatis molem, sistere aut frangere potuisset. Quæ nunc tam perfricta frons erit, quæ à Principe viribus & exercitu destituta, postulare audeat, servandæ tali in re ac tempore Lithvaniæ officium? Titulone Supremi Ducis, & inanibus dignitatis ornamentis, tot hostium legiones debellandæ fuerunt? Ut manu atq; armis & Regii capitis objectu semper, sic tunc consilio Serenissimus Rex CASIMIR VS Reipublicæ non defuit, collato in eum Summi Ducis munere, qui tot specimenibus virtutem suam patriæ approbaverat. Defuit quorundam Civium in Patriam amor & fides, qui privati odii instinctu, salutem publicam Principis hujus exitio posthabuere. Nec una fuit ista occasio, in quâ S. Regiæ Majestatis eximiam in

Rempubli<sup>ca</sup>m voluntatem & studium, quorundam Civium cōtumacia destituit, aut frustrata est. Nam & aliās quoq; Comitia disturbata sunt, adeò nullà aut levi de causâ, ut de eâ ne nunc quidem, satis constare possit. Et Berestecensis victoriæ Regio CASIMIRI periculo ac virtute partæ, fructum in quo domestici belli finis, & futurarum miseriarum certissimus obex præstò jam aderat: quid aliud, nisi paucorum astu & culpâ, concitata ad inferendam conficiendo bello moram, Nobilitatis obstinatio corrupit? Absq; Ducibus istis ac seditionum follibus fuisset, pridem tam difficili bello summa esset domi imposita manus, & foris externa arma, nullâ laborantis Patriæ oportunitate invitata quievissent. Et quisquam, mala Reipublicæ ab optimo Regum reposcere audebit, quæ mala sanè quorundam Civium studia & intemperix nobis intriverunt! Non meliori jure adversa & calamitates Lithvaniæ reposcuntur à Principe, cui si defendendæ Lithvaniæ mādabatur provincia, non erat subtrahendus saltem, eriplo aut quadruplo minor hostium potentiâ exercitus. Et tamen Princeps hic tam exiguâ manu, quantula deductis necessariis pro vasto Lithvaniæ limite præsidiiis reliqua esse poterat, res gessit ad posteritatem memorabiles. Primùm enim hostem Smolensco plures Exercitus admoventem

tem per Tribunum suum Gantzkoſſium, eâ fortitudine excepit, ut Caſtris unius exercitus nocturnâ invaſione direptis, multorum millium manus deleta ſit. Quo tempore malignè dicam an ſtolidè Principem reprehensum meminimus, quod non propter muros Urbis Caſtra metatus eſſet, moleſtè videlicet ferentibus inimicis, quod non unâ cum periclitante urbe, obſeſſus atq; oppreſſus ſit. Sed ille, hoſtis juxtâ ſuasq; vires æquâ lance penſitans, dum validiſſimis ubiq; copiis diverſæ Arces petuntur; haud æquis viribus incumbentem potentiam eludendo, hinc ſuis opis ferendæ, inde aggreſſiendorum hoſtium occaſiones circum ſpectans, huc illuc volitabat, donec captatâ loci opportunitate, ad Scloviam oppidum, hoſtem Triginta Millium Exercitu fretum, cruento prælio pulſum, cedere loco pugnæ coëgit. Sed non multos poſt dies, ſupervenientibus majoribus hoſtium Copiis, ſimul Mohiloviæ perfidiâ, victoriæ fructus interceptus, Caſtraq; retrò, intrâ ſua præſidia moveri neceſſe fuit. Satis eſt deſenſandis finibus, ac propullando hoſte, tres ſolidos Menſes exactos, intrâ quod ſpatium ſive ab exercitu Polonico, ſive ab excitâ ad deſenſionem Patriæ nobilitate, acciſis Copiarum ſuarum viribus poſſet ſuccurri. Sed nemine comparente, Sepeloviensis caſus intervenit, in quo

Princeps, ingruenti multitudini impar, postre-  
mus tamen ex acie excedens succumbere fortu-  
næ coactus est. Et tamen statim, rarissimo exem-  
plo, duodecimo à loco pugnæ Milliari restaura-  
to exercitu, victores ultrà tendere passus non est,  
omnemq; à Berezinâ ad Nemenum amnem  
oram, partim præsiidiis, partim copiarum suarum  
excubiis infessam & hosti inaccessam reddidit.  
Sed ne tunc quidem longo tempore expectans  
opem obtinuit, Nobilitate ad nuncium propio-  
ri hostis, in fugam potius dilapsâ, quàm ad de-  
fensionem concurrente. Sero postea ac propè  
præcipiti in hyemem anno, Seculi præsentis quar-  
to suprâ quinquagesimum, novi delectus sup-  
plemèta advenerunt, quibus accessere missa è Po-  
loniâ auxilia & è quibusdam Lithvaniæ provin-  
ciis, seorsim auctoratus à Nobilitate miles. Sed  
veteranæ ac propriæ Ducis copiæ, non præliis  
magis & morbis accisæ, quàm multiplici damno-  
rum genere, & longis laboribus fessæ requiem  
poscebant, illâ præcipuè tempestate, quæ hostem  
quoq; ipsum à pellibus & Castris, intrà tecta ac  
tepida munitionum cubilia compulerat. Ac fortè  
tunc initio Brumæ inclementia cæli, horridiori &  
à multis annis propè inaudito gelu, obriguerat.  
Quiescendum Duci videbatur. Satis alioqui ho-  
stium, quibuscum pugnandum esset, fore repu-  
tanti

tanti, etiam si ipsis socius & commilito, savus ad-  
versus nos æther, non adderetur. Nam quid sese  
proximè post ineunte Anno, recentiatq; integro  
hosti oppositurum, si illa iusti exercitus, qualis-  
cunq; species, hybernis laboribus, ac cæli injuriis  
afflicta frangeretur. Cæterùm cunctantem, & at-  
tritas Veteranorum suorum vires, per breve otium  
restaurare parantem Principem, publica multo-  
rum efflagitatio, ac pænè convicium, invitum,  
sanè, sed amplius reluctari non sustinentem, ab  
hybernis ad intempestivum bellum extrusit, al-  
latis ex Poloniâ quoq; Primatis Archiepiscopi  
literis, consilia & moras Principis, sequiorem in  
partem flexas, aculeatè perstringentis. Non pri-  
mo isto experimento patuit, nusquam auspica-  
tum fuisse consiliorum successum, quoties solis  
pacis artibus innutriti Proceres, adeoq; pacis præ-  
cones & Antistites, bellorum sese administratio-  
ni aut negotiis insinuant, ac sæpè è cubiculo aut  
lectulo imprudentes imperant, aut consulunt,  
quicquid hosti conducit. Tunc quoq; non alio  
exitu, tam infensâ tempestate, rapta sunt à nobis  
arma, nisi ut Lithvania vires, quas in ipsam rerum  
naturam, cæliq; præter morem savientis injurias,  
nullo operæ pretio, imò maximo damno suo ef-  
fuderat, tunc cùm ipsis hosti mox ineunte Vere  
opponendis maximè opus esset, non haberet.

Nam

Nam quis irritæ expeditionis fructus sperari poterat, cum ob rigentis ætheris intemperiem, hostis extrâ nidos & munimenta sua nusquam, compareret; in oppugnandis autem firmis, valido præsidio urbibus, non situs locorum, non arma aut rabies, aut desperatio obsessorum violentius pro hoste adversus nos, quàm cœlum, & frigora dimicarent? Quanta inde in pedite, quanta in Equitibus jactura consecuta sit, verbis exprimi non potest. Sed in iis præcipuè, quos nullo reficiendarum virium, aut damnorum reparandorum spatio dato, statim ad hybernos labores atq; pericula iterùm accingi necesse fuerat. Tentata igitur necquicquam Bychovia, obsessa & oppugnata in spem melioris successus Mohilovia. Quibus in obsidionibus quicquid à provido & vigilantî Duce, consilio, sumptu, operâ, patientiâ & fortitudine præstari potuit, nihil omissum est. Tempore importunissimo, in summâ eorum penuriâ, quæ ab Artilleriæ Curatoribus suppeditari mos est, sumptu Principis necessaria aliunde suppeditata, & omnia benè ordinata, rem ad vota processuram toties pollicebantur. Defuit successus, partim milite provincialiâ Nobilitate submisso, post exactû militiæ suæ trimestre, palam & consciis obsessis, magno obsidentium damno dilabente; partim eo, qui reliquus erat, multùm imminuto,

minuto, & ad exequenda Ducis imperia non unâ  
de causâ segniore interdum & contumaciore;  
partim deniq; fatis jam tunc aliud (quod mox  
eventu patuit) de fortunâ Lithvaniæ decernenti-  
bus. Nec enim semper validissimis viribus, aut  
summis Ducum artibus, belli fortuna respondet,  
nec modò præliis legionum, sed urbium quoq;  
captivitatibus cælestis nutus intervenit. Et hy-  
bernæ præcipuè obsidiones, etiam victricium co-  
piarum sepulchra censentur. Quid nuper Tor-  
stensonio ad Imperatoriæ artis fastigium defuit?  
Is acri ad Lipsiam prælio Cæsarianos Duces fre-  
gerat, mox tamen ipse ad hybernum Friburgi  
obsidium, suam ipse victoriam fregit. Et cui po-  
stea tot hostium acies, tot urbium atq; arcium,  
propugnacula cesserunt, ejus impetum ac robur,  
& rapidum victoriarum cursum, una Moravo-  
rum Brunna stitit ac sustinuit. Solet etiam sum-  
mæ virtuti bellicæ, Deus ponere obicem. Sed ad  
solvendum periculo Mohilovum, nullo opus erat  
miraculo. Cùm enim obsidentium copix, tri-  
plici militum genere constarent. Provincialis qui-  
dem (uti diximus) miles, Castra injussu Ducis de-  
seruit. Auxiliaris è Poloniâ precario imperio re-  
gebatur. Reliquus Duci peculiaris, non modò  
Brumæ & obsidionis malis, sed nunquam inter-  
missis belli laboribus, fessus fatiscebat, & quoti-

die minuebatur, ut gravius ultra infortunium expectari minimè expediret.

Solutæ sub initium Veris obsidioni, supervenere ultima ante irruptionem Svecorum Comitia. Quibus ut adesset Princeps Reipublicæ interesse putavit. Cui tunc maximè expediebat defensionem Magni Ducatus præsentia suâ urgeri, & ut tot malis attrito, & hybernâ expeditione fesso exercitui suo reliquæ, quæ in evocandâ ad bellum Nobilitate Lithvaniæ supererant vires adjungerentur, effici. In quo tametsi non inanem operam posuerit, ut lege publicâ vetustus mos & Statutum Magni Ducatus Lithvaniæ confirmata sint, quibus universâ evocata in bellum Nobilitas exercitui Summi Ducis accedere & subesse tenetur; tamen ubi in arenam ventum est, inimicorum malevolentia factum, ut executione recens sancitæ Legis impeditâ, Exercitui Ducis nihil opis aut sperâ Nobilitate affulserit. Quod nihil aliud erat, quàm Patriam suâ met sponte ruentem novo impetu in præcipitium impellere. Jamq; ad eò Magnus Dux Moschoviæ, cum ingenti Moschorum & Cosacorum multitudine, virium fiducia præsens, Vilnam versus directo itinere adventabat, cum Polonica auxilia accenso domi bello, per improvisum Svecorum in Poloniam incursum, ad extingendum ejus in-

celandum revocata sunt, quo mox non Major  
modò (quæ jam desciverat) sed Minor quoq; Po-  
lonia, Varſavia quoq; Cracovia, & deditibus se  
passim Proceribus atq; Provinciis, universum  
pænè Regnum cõflagavit. Destituito discessu au-  
xiliorum Exercitu, cum exigua illa & fessa vetera-  
norum manus, sistendæ aut sustinendæ tantæ bel-  
li violentiæ par non esset; versæ à Principe ad No-  
bilitatem, quæ scorsim in armis erat, obtestatio-  
nes, ne communem salutem, ne Patriam desere-  
rent; atq; ex legis mente atq; officio, junctis secum  
viribus, semet ipsos unâ imminenti periculo eri-  
perent. Sed apud animos factionibus discerptos,  
aut criminationû peste afflatos, nihil ratio, nihil  
auctoritas, nihil ipsa necessitas valere. Pars dege-  
neri metu torpebat aut fugiebat, pars malevol-  
orum artificio aut partium studiis abrepta, scor-  
sim tendebat; ut adventu periculi, tantò licentius  
posset dispergi. Non igitur Principi, qui capitis  
sui objectu, ingruentia Patriæ pericula arcebat;  
sed istis potius eversa Lithvaniæ causa apud po-  
steritatem dicenda est, qui procul ipsi à Martio  
pulvere atq; discrimine, unicum attriti & labo-  
rantis Exercitus ejus, quod à confluyente in Castra  
Nobilitate tunc habere potuit, subsidium, novis  
& antiquis Patriæ Legibus calcatis, malignè sub-  
traxere. Eâdem tempestate validus Svecorum,

exercitus, reliquâ Livoniâ parte, quæ hucusq; in  
ditione Reipublicæ fuerat, occupatâ, Lithvaniâ  
imminebat. Nec ulla spes aduersus utrumq; ho-  
stem subsidii è Regno supererat; quod hinc Sve-  
ci. inde Zaporovii, magnis viribus, nec dispari  
utrinq; successu, urgebant: cum nova atq; impro-  
visa cura Principem, ad propinquum periculum,  
advertit. Deerat adhuc ad supremum mali cumu-  
lum, ut hic ipse afflictus, extenuatus, destitutus,  
ac debitis sibi subsidiis fraudatus Exercitus, pro-  
spectante de proximo hoste, in seditionem & con-  
spirationem aduersus Ducem suum efferetur.  
Non difficile erat continuatis expeditionum la-  
boribus conflictatum, & in tot Reipublicæ neces-  
sitatibus nihil non perpeffum militem, cui neq;  
ulla pro antea actis meritis gratia hucusq; relata,  
neq; ruente Republica in posterum speranda  
videbatur, sub Duce præsertim disciplinæ reti-  
nente, in licentiam & detractionem periculo-  
rum impelli. Nec mora, scinditur miles in aduer-  
sa studia atq; factiones, & frustra saniorum con-  
sensu reluctante, pleriq; manipularium aduersus  
imperia Ducis conspirant. Queritur seditioni col-  
lor, instans diei exolvendis stipendiis præfixæ  
prætextus, & in propinquâ Moschorum & Cosa-  
corum viciniâ, palàm omnia tumultu perstre-  
punt. Atq; hæc fuere primæ illæ militaris conspira-  
tionis

tionis scintillæ, quæ post obitum Principis in ille-  
gitimam & iniquam postea bonorum ejus dire-  
ptionem exarsit, & aucupata infelicissimi Reipub-  
licæ temporis statum, ausa est barbam vellere,  
mortuo Leoni. Cæterùm tunc hoste omnium  
conscio, properare inde Moschus ad urbem Vil-  
nam, pro cujus mœnibus Exercitus constiterat;  
hinc Princeps animo anxius, atq; urbi metuens &  
exigui exercitus vires suo pretio æstimans, cujus  
tamen jam ne satis quidem potens esset, cum  
tam vasto infirmæ Civitatis pomerio, tantam  
paucitatem etiam concordem includi, nulla ra-  
tio permetteret; monitis statim reliquis civibus  
(nam pleriq; pridem periculum evaserant) ut sibi  
consulerent; de conservandâ urbe ambigere  
cepit. Ne quid inausum tamen relinqueret, inter  
illas Vrbi vicinas montium angustias tentare sta-  
tuit, si quâ fortè longius à mœnibus rejici posset  
hostis. Sed ubi in rem præsentem ventum est, ad  
conspectum eminus longè venientis horribilis  
hostium agminis, major pars turbidi militis, cum  
signis & cohortibus in effusam sese fugam con-  
jecit, non alio festinationis pretio, nisi ut Cov-  
nensibus, aut Mercensibus (nec enim omnes ma-  
nipuli unâ fugiebant) maturius nunciarent, reli-  
ctum à se in acie Ducem. Cùm res esset in præci-  
piti, non sese deseruit Princeps, sed tunc primum

ultimâ necessitate sibi extortum, destituendæ ur-  
bis, consilium cœpit, & cum reliquâ parte Exerci-  
tus, propter urbem jam semidesertam, servatis  
Ordinibus, pontem Viliæ amni impositum traje-  
cit. Vbi cum incumbente recedentibus hoste, &  
propè jam pontem occupante, quamvis tam insi-  
gniter diminutis viribus, acerrimâ pugna confl-  
xit, ac sæpius trans amnem perumpere ausum,  
fortissimè rejecit, ipse signa ad movès, & ubiq; in  
conflictu primus, donec igne subjecto, maxima  
pars pontis corruit, & omni spe trajectus hosti  
ademptâ, qui supererat Exercitus honestissimo  
receptu servatus est. Suprema tunc necessitas, &  
urgens Fati vis, Principem ad egit, ut cum Vil-  
nam ingredi ac defendere non posset, nisi unâ &  
exercitum præterea perderet, servare alterum ma-  
luerit, quàm utrumq; simul semirutæ Urbis cine-  
ribus sepeliri. Sed & illo ultimo Principis confi-  
ctu, Samogitia cum vicinis aliquot trans Viliam  
amnem territoriis Moschorum jugo subtracta  
est. Neq; ausus Moschus ultrâ progredi, intactas  
propemodum ad hanc usq; diem, provincias  
istas reliquit. Et si pugnarum exitus, pugnantium  
consiliis eorumq; successu æstimandus est, non  
victus ab illâ pugnâ Princeps, sed victor recessit.  
Nec enim servandæ urbis causa, quæ jam huma-  
nis viribus servari non potuit, sed servandi sui  
exerci-

exercitus ergò dimicabat. Nec ipse in obtinendo illius certaminis præmio atq; fructu, sed hostis succubuit, nunquam postea ausus, non dico Ducis exercitum aggredi, sed Trans-Vilianas illas ditiones subigere.

Hucusq; bellicas Principis actiones percurramus. Quæ deinde subsequuta sunt circa Transactionem cum Externis, ad alteram defensionis partem pertinet. Nunc satis est ostendisse in bellicis ejus laudibus, nihil habere invidiam quod arrodata aut mordeat. Nam qui Smolensci obsidionem non solutam objectant, longè iniquius agunt, quàm qui Gustavi Adolphi Svecorum Regis gloriam carpere audent, quod ante junctas cum Electoribus vires Magdeburgo nuper opem ferre non potuerit. Qui Sepeloviensi infortunio partas antè victorias obliterare contendunt, parùm intelligunt, quod pluribus præliis à Marcello, uno sed capitali à Scipione victus est. Longè tamè pauciorum militum jacturâ casus iste Principis Reipublicæ stetit, quàm accepta ad Dyrrachium clades Julio Cæsari. Nec ideo huic partarum antè in Galliâ victoriarum laurea emarcuerat. Vilnæ in conspectu Principis captæ pudeat eos, quorum artibus vires urbi protegendæ pares denegatæ aut subtractæ sunt. Omissum id à se  
Prin-

Princeps nunquam erubescet, quod humanâ ope præstari non potuit. At eodem tempore hostis, contractum jam & quasi faucibus comprehensum recipientis sese exercitus bolum, tam exiguis viribus, sibi tunc à Principe extorqueri erubuit, neq; compertam toties virtutem laceßere ultra ausus est.

Satis hucusq; nobis bellica Principis hujus virtus defensa videtur. Superest eorum quæ suscepimus alterum, ut integerrima ejusdē erga Sacram Regiam Majestatem ac Patriam fides, ab improbæ calumniæ missilibus vindicetur. Enim verò versutior fuit invidiæ astus, quàm ut non animadverteret, nihil in bellicis Principis hujus gestis carpi potuisse, quod non in uberiores ejus laudem cederet. Quid enim innoxio objiceret? Moschine, an Sveci, & totius Septentrionis vires Cosacis conjunctas ab eo nequaquam debellatas? Id vero quæ fieri ullo modo potuit, tantillâ manu, Castrensi contagio, continuis laboribus, tot cum potentissimo hoste velitationibus, tot cruentis præliis, uno præterea adverso, non leviter immunitâ, fame, frigore, vigiliis, damnis contactâ, ab omnibus auxiliis desertâ, in seditiosam deniq; adversus Ducem contumaciam accensâ? Si nullas omninò post Moschicam irruptionem —

*Res gerere, & captos ostendere civibus hostes,*

Si

Si nullos locupletes successuum suorum testes dare potuisset, si nulla capta de hoste signa retulisset, ac ne tentare quidem pro defensione Patriæ quicquam prorsus voluisset, quis non prudentiam potius ejus excusatam habere, quàm culpam inculcare debuisset? Nunc post concisum ad mœnia Smolensci non parvum hostium exercitum, post cruentum nec improsperum cum Triginta Millibus hostium ad Scloviam certamen, post defensam etiam in adversis rebus Berezinæ ripam, atq; hostium sufflaminatam victoriam, post tot vexillorum congerie constratam & captivorum hostium multitudine (cum Regiæ Majestati traderentur) confertam aream, deniq; post acrem ad Vilnam nec certè adversum pro conservando reliquo exercitu conflictum, post honestissimum cum exiguâ manu in conspectu tanti hostilis exercitus receptum, post tot rerum fortiter gestarum pignora, quis Ducis hujus aut in deploratis ac trepidis rebus invictum animi robur, aut in incertis & ambiguis, præsentis consilii vim, satis admirari aut prædicare poterit? Enimverò hebescere hic aciem criminationis suæ sensit invidia. Flexit igitur aliò spicula suas & Principem non ignaviâ quidem aut rei militaris imperitiâ, sed perfidiâ victum accusare cæpit. Quasi nulla fides absq; viribus & exercitu,

E

validis-

validissimo copiarum robore armatis hostium  
manibus extorquere victoriam possit. Et quæ  
plerumq; malignitati comes esse solet, vecordia  
quorundam, spargere cæperat, Moschicis quoq;  
pollicitationibus occupatam Principis fidem. Est  
verò scilicet in illâ servitutis barbarie, Principibus  
præcipuè viris, magna illecebrarum copia atq;  
materies, quibus fortè inescari possint. At cur Mo-  
hilovum (inquiunt) non cepit? Malâ videlicet fi-  
de secum Carolus V. egerat, quia Metim aut Al-  
gjeram; aut nuper ipse Moschus, quia Rigam,  
deniq; Carolus Gustavus quia Hassniam non ex-  
pugnavit. Usq; adeòne, nullus mortalium cona-  
tus irritus esse, absq; perfidiâ potest? Sed post  
explosam eventum, tâti delirii fabulam, illuc omnis  
cålumniæ cura incubuit, ut clandestinæ cum  
Svecis pactionis suspicionem Principi impingê-  
ret. Quid primum, postremumve in istâ crimina-  
tione querat? Stultitiamne, an impudentiam?  
an utrâq; deterius projectum in omne scelus ca-  
lumniandi studium? Benè habet, quòd profliga-  
ta malevolorum improbitas, ne speciosè quidem  
crimina confingere novit. Nam quid eo stultius,  
quod Princeps Svecis Lishvaniam constituto  
facinoris præmio tradere voluisse fingitur. Cur  
igitur non tradidit? ac ne tradere quidem un-  
quam conatus est, quando tradi potuit, quando

in ejus potestate esset, quando & à tradente major apud Svecos gratia iniri, & officii præstiti fructus uberior penes eos, quorum gratiam captasse fingitur, manere potuisset? An verò in illo ultimo, animam agentis Lithvaniæ, singultu, cùm Moschis & Cosacis latè omnia occupantibus, recedentibus Regni auxiliis, nullum inconsternatâ & discordi Nobilitate, nullum in destituto, atq; ad eò bonâ parte sui, in scelus corrupto Ducis exercitu, Vrbi Vilnæ aut reliquæ Lithvaniæ præsidium superesset, placuit (si Diis placet) tam serò cum Sveco de proditoris mercede pacisci? Quid autem ultrâ novo hosti Sveco prodi poterat, quod non esset jam antè, ab inimicis Principis, veteri hosti Moscho proditum & planè in prædam prostitutum? Quid eo tempore aut Princeps Svecis operæ suæ præstare, vel imputare, aut Sveci Principi acceptum ferre potuere? cùm & ipsis Princeps, nihil penè ostentare posset, quod non in alienâ potestate esse videretur; & illi nihil à Principe acceptare, quod non eorundem periculo ac viribus à Moschorum violentiâ vindicandum esset aut defendendum. Tunc igitur proditori nullus locus, nulla occasio erat aut facultas. Quam si vel maximè Princeps urgere voluisset, ipsi Sveci justissimâ dedignatione spreuissent.

At enim tunc tamen pactio cum Svecis, non tentata modò, sed conventa, non inanem accusationis conatum eventu ipso ostendit. Pactionem cum Svecis conventam neq; Princeps unquam negavit, neq; in eam cum reliquis consensisse erubuit, aut apud posteritatem sibi erubescendum fore meritò judicavit. Nam neq; primus ipse sed post multos Poloniæ Proceres atq; Provincias, neq; solus, sed cum Primatibus Senatus Lithvaniæ, cum Ordinibus, qui in tam præcipiti casu præstò esse poterant, neq; clam aut privatim, sed consensu imò flagitantibus omnibus, ad id negotii accessit. Neq; in eo, aut jus cujusquam læsum, aut fides in Patriam violata videri potuit, in quo suprema necessitas, omni tunc nexu solutos Magni Ducatus Lithvaniæ Ordines, spem quæ reliqua erat salutis publicæ sequi adigebat. Jam florentissimæ Poloniæ provinciæ, nullis belli casibus attritæ, non suis præsiidiis exarmatæ, sed viris atq; armis suis instructæ, ultrò in deditionem Svecorum concesserant, & copiis eorum vires suas adjunxerant, jam reliqui exercitus, adeoq; pleriq; Duces atq; Ordines Poloniæ Regni, fatali ac præcipiti omnium impetu, sed & urgente à tergo Moschorum & rebellium vi eòdem, quo mox reciderunt, vergebant: jam ipsi Serenissimo Regi CASIMIRO non magis hostium vis, quàm è militibus

bus suis quorundam conspiratio metuenda, præcipitis & calamitosi extra fines Regni receptus; necessitatem imposuerat; cum Ordines Lithvaniæ desertos ac semiermes, inter tot hostes undiq; veluti malleum inter & incudem positos, ineluctabilis fati vis, ad idem illud quærendum Svecorum patrocinium adegit, quod jam, majore sui parte, Polonia receperat. Non igitur tunc licuit uni ex præcipuis Lithvaniæ Civibus (quoniam absq; idoneo exercitu, Ducis armibus patriæ prodesse non poterat) ex Principis Secularium Senatoris officio, (præcipuè plurimis Illustribus è Senatorio Ordine Collegis; & saniori quæ fortè præsto erat Nobilitate, urgentibus) prospicere rationes, quibus illa ex ultimi exitii casu posset eripi: Nihil ist hic absq; consensu & subscriptione Antistitis Vilnensis, Primatis in Sacro Ordine Lithvaniæ, inceptatum. Protractio in longum negotio, cum Princeps, magnâ Svecorum offensione, iniquioribus conditionibus transigere gravaretur, serius aliquandò cum Svecis Samogitia & adjacentes regiones transegerunt; quàm plerq; in Poloniâ Provinciâ in ditionem Svecicam concessere. Non igitur in eâ transactione Princeps Rempublicam deseruit; sed in rebus deploratis, & perditissimum atq; absentiam S. R. Majestatis, quasi in orbitate publicâ, præcuntem totam ferè

Rempublicam (nec parvo quidem intervallo restitans) secutus est. Quod verò mox Polonia, post extorta per Svecos Prussica à Serenissimo Electore Brandenburgico pacta, introspectis Caroli Gustavi consiliis à salute Patriæ alienissimis, tam iniquam & noxiam, spesq; suas tam indignè frustrantem protectionem abjecit, id Principi morte prævento facere non licuit. Quàm iniquo tamen animo, brevem illum & funestum statum, Reipublicæ ferret, vita in ipso ævi flore ac robore, ante diem intercepta ostendit. Quippe florentissimâ, nec dum ullo sinistri casus exemplo delibatâ Svecorum fortunâ, decessit. Qui rerum exitus non dubium relinquit, quid facturus fuerit; si redeunte postliminiò Patriæ felicitate, superstitem esse Deus voluisset. Ut rem in pauca conferam, si ad confugiendum in Svecici patrociniî fidem nulla provincia, nullus exercitus, nemo Ducum aut Procerum signum ante Principem sustulisset, tanti tamen erat, illa supremi periculi, quæ Principem strinxit, necessitas, ut ejus nomine omnisejusdem cum Svecis pactio, apud æquos Judices, debuerit esse excusata. At nobis id non satis est. Pergimus igitur ultrâ & audacter dicimus; Si nulla Principem strinxisset, tam propinqui utrinq; periculi necessitas; quis tamen consilium ejus accusare potuisset? quòd cum videret

Provin-

Provincias, exercitus, vires, & præcipuos Regni Militiæ Duces, fatali quodam impetu in Svecicam protectionem ruentes, ipse quoq; sese ac Lithvaniam suam à corpore Regni separare recusaverit, & quæcumq; fortunam unâ cum Regno ac totâ Republicâ, quàm seorsim Moschicam tyrannidem ferre maluerit? Quod si factum Principis, non minus etiam sine ullâ necessitate aliorum exemplum, quàm sine ullo exemplo ipsa excusat necessitas; quantò magis illud præ omnibus aliis excusatum videri debet, cum & magnis exemplis tâta necessitas, & supremæ necessitati tot exempla accesserint; imò verò jam tunc eam præcesserint? Quid igitur est, quod in eâ Principis cum Svecis negotiatione livor carpere, aut deteriores in partem trahere auserit? Palàm, non consciis tantum, sed postulantibus, imò flagitantibus provinciarum Ordinibus acta omnia, quos ingruentia undiq; pericula de vitâ bonisq; anxios & supplices ad quarendam obvii patrocinii securitatem urgebant. Nec magis Princeps hostium armis, quàm suorum Civium precibus oppugnatus, ad eam pacationem descendit.

Postremò, si ex eventu consilia æstimanda sunt, non aliâ melius ratione, & Moschum cum Sveco committi, & Moschicæ tyrannidi Samogitiam cum proximâ viciniâ subtrahi potuisse, exitus docuit. A8

At enim suspectæ Ducis in Rempublicam fi-  
dei locuples videlicet testis, proprius ejusdem  
miles producitur. Absit verò, ut veteranas Prin-  
cipis Legiones, quarum virtute tot victoriæ partæ  
sunt, laucearum ejus & gloriæ socias & admini-  
stras, tam pravæ & iniquæ accusationis, invidiam  
suscipere existimemus. Falsò & impudenter cri-  
minationis hujus nomine, universus Magni Du-  
catus Lithvanix exercitus traducitur. Paucissimi  
sunt, inq; è turbidâ & ad omnem seditionem cor-  
ruptâ colluviè, quos cum ipsos in lucem prodire  
pudeat, commotæ clam gregatorum facti nomen  
exercitus imponunt. Quibus hæc fraus non mi-  
nùs quæstiosa est, quàm turpis & flagitiosa mili-  
tia fuit. Quippe infelicissimi Reipublicæ Status  
occasionem aucupati, in invadendo per calumni-  
am Principis patrimonio, calcato jure, calcatis pa-  
triiis legibus ———

*Ausi sunt immane nefas, ausoq; potiti.*

Quod facinus tam diu in ultum relinqui, tempo-  
rum pudor est & infelicitas. Horum paucorum  
flagitiosi quæstus interest, in fontis Principis ma-  
nes, tam iniquâ accusatione gravari. Egregios  
verò testes, qui fidem testimonii, non aliis docu-  
mentis, quàm armorum formidine tuentur.  
Eximium & omni exceptione majus testimoni-  
um; quod perhibet seditiosus primùm, deinde  
deser.

desertor & profugus ex prælio miles, cui nunquam  
tutius credi poterat, quàm cum post conspectum,  
ad Vilmam, è longinquo hostem, pavore & fugâ  
exanimis, deficiente ad trepida verba anhelitu,  
nunciaret obviis, destitutum à se in prælio Ducem.  
Proditionem videlicet objectabit Duci, proditor  
ipse Ducis & fugitivus manipularis, & à quo sup-  
plicium pro flagitio metuebat, ei abstrusa ab omni  
mortalium luce, & nunquam probanda crimina,  
intentare audebit? Scilicet ita se imperantium au-  
toritas prostituit, sic rigor disciplinæ relaxat, ut  
ad secreta Ducum consilia, aut documenta, etiam  
seditioso aut suspecto & malevolo militi admis-  
sio pateat. Sed nec ejusmodi documentis, qui-  
bus tanquàm vestigiis ad cujusvis arcani, cubile  
penetratur, in hâc causâ locus ullus est. Nec enim  
de eo quæritur, utrum à Principe quæsita  
Svecica protectio, & post longam negotiationem  
tandem conclusa fuerit. Id tantùm abest ut renuat  
Princeps, ut ultrò venditet, & communi Polonis  
Lithvanisq; patriæ ac toti Reipublicæ imputet.  
Nullum enim testimonium certius constantis  
erga eam studii exhibere potuit, quam cum in  
tantâ necessitate positus, eandem cum reliquis Pa-  
triæ Ordinibus sortem subire, quàm seorsim Mo-  
schicis illecebris & pollicitationibus inescari ma-  
luerit. Non inquam cognitio præsens de eo insti-  
tuitur,

cutur, utrum ipsi pacta cum Svecis conventa, sed  
utrum malâ in Patriam fide conventa sint. Pro-  
inde non factum, sed animus Principis vocatur in-  
dubium, & sola mens prava ac voluntas accusa-  
tur. Viderint accusatores, in hujus arcani latebras  
quibus & ipsi cuniculis ingressi sint, & æquos Ju-  
dices introducere sperent. Nullis certè earum re-  
rum argumentis instructi esse possunt, quæ non-  
modò, si unquam esse potuissent, nusquam ta-  
men alibi, nisi in mente sedem suam habuissent,  
sed neq; unquam fuere, neq; esse potuerunt: ve-  
rùm ineptis tantum conjecturis, & meris suspici-  
onibus fulciuntur, quæ in tantæ dignationis ac  
virtutis Principem nullo modo cadere queunt.  
Vindicat eum à tam vili atq; ignobili criminis fla-  
gitio, in clytus natalium splendor, & supra privati-  
civis sortem illustris, plena Patriciis imaginibus  
Domus, & accepta pridem à proavis ac longâ serie  
deducta Principis Romani Imperii dignitas, po-  
stremò sanguis, patriis quoq; sceptris, non minùs  
quàm Serenissimis extra Patriam gentibus im-  
mixtus. Taceo vetustas & ipso sicut ac senio fu-  
scas Jagelloniæ gentis origines. Regali primum  
Mazoviæ Ducum stirpi, mox ipsi Poloniæ Regum  
Majestati per matrimonia innexam Gentem  
hanc, Majores nostri meminerunt. Nos eandem  
per honorantissimum Electorii sanguinis vincu-  
lum,

lum, non modò Cellissimorum Germaniæ Prin-  
cipum, sed potentissimorum Europæ Regum co-  
gnationibus insertam vidimus. Tam excelsi Ma-  
jorum generis non degenerem sese neq; infician-  
dam progeniem Princeps hic præstitit, ut meritò  
ambigi possit, utrum plus lucis ac splendoris Ma-  
joribus suis debeat, an dederit. Reddidit certè tam  
brevis ævo, non sine fanore acceptam à progenito-  
ribus, rerum gestarum famam atq; memoriam.  
Tam nobilis & splendida sortis animæ, non so-  
lent sese demittere ad flagitiosi dedecoris vilita-  
tem. Vilius & ignobilius est nefas istud, cujus ca-  
lumniâ malevoli lacerant laudatissimi Principis  
memoriam, quàm ut suspicio ejus cadere possit  
in tam altam indolem. Et cum nihil documenti  
habeant aut habere possint, & tamen de animi  
culpâ & crimine quæritur, meritò hic usurpem,  
aut ad usum meum transferam, celebrem olim  
Romæ & animosam cujusdam ex Romanis Opti-  
matibus vocem. Nescio quis è castrensi colluvie,  
belli cauponator verius & desertor, quàm miles,  
asserit Imperatorem suum malâ fide, in defenden-  
dâ Patriâ versatum. Imperator tantâ dignitate,  
tantis rebus gestis negat, & ostendit longius for-  
tem & indolem suam abesse à Proditore quàm  
hunc terræ filium à Calumniatore. *Viri creditis*  
*Quirites?* Sed quid ego id non factum pluribus

ostendo, quod factum neq; probatur, neq; probari potest, ac ne fieri quidem ullo modo potuisse nobis planum facere in expedito est? Nemo grave & periculosum nefas absq; evidenti sceleris pretio atq; emolumento suscipit. Peeniteat oportet ac tadeat privatae domi sortis suae, quos in publicum patriae exitium, melioris fortunae spes aut desperatio impellit. Aut certe longè majus & pretiosius, hujus delicti praemium, alibi dari aut sperari necesse est, quàm quod unquam Patria praestare possit, aut polliceri. Ostendat Accusator, ecquid honoris, ecquid dignitatis, aut opum & emolumentorum in Patriâ Principi huic defuerit, quam obrem illum fortunae suae domi pigere possit? Ostendat unde felicitati ejus foris quicquam accrescere potuerit, quod non Statum ejus convelleret potius, quàm ornaret, aut augetet? Exhibeat aliquid apud Moschos aut Svecos fortunae vel honoris praemium, quod Summorum apud nos Procerum libertati atq; fastigio, dum mansit in suo statu, quoquo modo opponi possit. Quibus quò communior erat cum cæteris civibus immunitas, eò celsior supra cæteros eminentia, eo venerabilior ipsis Regibus, ac tantùm non optabilior potentia. Quod si nusquam apud externos dari potest: beatior eo, quem hic Princeps habuit in Patria, Status; dicat saltem quid in patriis atq; domesticis

mesticis ornamentis desiderari potuit, quod ad felicitatis ejus cumulum accedere posset? E mensus brevi annorum spatio, omnes dignitatum gradus, in ipso honorum Solstitio stetit, nec velociori curriculo, ad partem ex rebus optimè gestis gloriam, quàm ad debita virtuti suæ præmia decurrit. Ecquod altius superabat fastigium, quò porrò ascendere posset? Nulla igitur necessitas, nulla dari potest illecebra, quæ huic Principi, externa eaq; incerta ac periculosa præmia, præ certo ac tuto domesticæ felicitatis fructu commenderet. Proinde adeò veri expers est hæc criminatio, ut ne speciem quidem ejus aut similitudinem, ullam referat. Quis enim tam cæco & mendoso, judicio tantum Principem fuisse opinetur, ut libens tam dirum furorem furere sustinuerit? Prudentiam quidem ejus, saltem in propriæ dignitatis curâ, aut privato suo statu ornando atq; augendo, etiam isti agnoscere coguntur, qui fidem & pietatem in Patriam criminari audent. Adeo ne verò is dignitatis & ornamentorum suorum, oblivisci potuisse censebitur, ut non inteligeret, quanta & quàm violenta necessitas eum adigeret, ut Patriam quàm maximè tutam, liberam, & salvam esse vellet. Divitiæ, dignitates, ornamenta, quo cuiq; civium majora suppetunt, eò pluribus pignoribus Patriæ obstrictus censeatur. Quis enim

navem submergi aut periclitari optet, in quam unâ cum vitâ, omne fortunarum suarum depositum conjecit? Quis cum domi suæ florere suiq; juris esse, & quas haber ingentes opes, absolutissimo jure ac Dominio possidere queat, periculoso & calamitoso conatu, foris Dominos & externam servitutem quærat? per quam non modò opes ac dignitatem, sed vitam ipsam, non nisi precariò retineat? Hæc videlicet Principem fefellisse persuadent stolidis, quem fallere nullo modo poterat, quàm adducto imperio Svevi, exteros in ditionem receptos frænare toleant. Jam tunc obvia erant oculis omnium, nec exoleta ejus rei exempla, Continua Lithvanorum cum proximâ Livoniâ commercia ignorari non patiebantur fortunam eorum, qui in transmarini juris obsequium concesserant. Idem aperiebant illæ Germaniæ partes, in quibus Sveci rerum potiti sunt. Quorum victoria, per quas sibi sedes in Germaniâ figere cæperunt in illud tempus inciderunt, quo Princeps apud exteros agens, non auditione tantùm, sed propemodum oculis suis usurpare poterat cuncta, quæ isthic gerebantur. Abhorret igitur ab omni ratione illa criminatio, quòd Princeps jugo, cujus gravitas ipsi ignota esse non poterat, sciens volensq; ultrò liberam cervicem indere voluerit. Ut rem paucis absolvam, nulla aliena præter eam,

Cui

cui infistimus, via dari potest certior & expeditior, penetrandi ad areanam Principis mentem, qualis tunc fuit, quando ad pacta cum Svecis descendebatur. Quam, duo sunt quæ liquido & evidenter purgant, & absolvunt ab omni suspitionis labe. Antecedens necessitas, & mors subsequuta. Quarum utraq; adversum ab istis pactis animum, & alienissimam fuisse mentem ejus ostendit. Spontaneum animi propositum non expectat ultimam necessitatem: ubi hæc advenit, voluntas etiam nolens urgentia fata sequi compellitur, nec ulla est culpa cedentis, quando resistere nequit. Neq; tamen Principis voluntatem illâ tam violentâ necessitate frangi, aut inflecti, aut præsentis tunc statui rerum conciliari potuisse ipsa mors ostendit. Nam quòd invitus pactis istis intervenire sustinuit, precibus & miserationi Ordinum deprecantium dari debuit atq; indulgeri; qui ad effugiendum ultimum excidium, illum rerum statum deposcebant. At Princeps quantum ab eo abhorruerit satis ostendit, quod eum moriendo effugere, quam vivendo tolerare maluerit. Plura de innocentia Principis loqui, res ipsa non permittit, quæ objecta ipsi crimina tam liquido purgat, ut ejus evidentia, quæ sita verborum & argumentorum copia faciat injuriam.

Quod

Quod si quis quæsierit, qui factum sit tamen, quod vix ullus ex iis, qui ante Principem in Patriâ magnas res gefferunt, tam obstinatis, ac ne morte quidem extinctis odiis appetitus sit? In promptu causa est, *Seculi malignitas*, quæ patrum noxas scelere antegressa, luendis quoq; ejus suppliciis omnes Majorum pœnas superavit. Olim quoq; homines deteriores, annis licet geniti melioribus, virtutem, sed non nisi incolumem, ode- rant. Nunc etiam sublatam ex oculis degeneres mordent. Sed non in longum duraturâ rabie sevi. Quia & ipsos triste lethum citò rapiet ignora- biles, & virtutis interea famâ æternùm superstite & florente, eodem cum malevolis tumulo, da- mnata & sepulta interibit Invidia.

Nec tamen ad eò nova, aut sine exemplo vi- deri potest ista, quæ tam benè meritum Principem violat, injuria. Vel in ipso Patriæ sinu, in Summis ejus Civibus, invenias ejusmodi vulnerum cicat- rices. Quid Joanni Zamoyscio profuit, parta domi forisq; non suo tantùm sed patriæ nomini gloria? Tantis rebus gestis, exactâ ætate Senex, ea dignitati suæ præsidia quærere coactus est, quæ mox non sine Patriæ discrimine, in intestini belli mala recuperare. Nisi quod morte præventus, incer- tum reliquit, utrum vivente ipso partes, quas fo- vit, viacere potuerint, quæ mortuo succubere.

Quid

Quid Zolkievium juvit, illustri ad Clusinum  
prælio, Moschicæ gentis vires ita fregisse, ut dedi-  
tum in vinculis Magnum Ducem, & quasi su-  
bacti imperii fasces & sacramentum Regi suo tra-  
deret? Nuncquid navata ab ipso, hic & alibi opera  
aut fructum quem sperabat attulit, aut ipsum ab  
incertis suspicionibus immunem præstitit, ne  
malâ fide postea, in defendendâ Patriâ usus puta-  
retur, viribus in hostem non utus, quando male-  
volis ejus oportuisse visum est? Quo publici ru-  
moris convicio verberatus Senex, mox oblatâ oc-  
cassione imparibus viribus adversus hostem uti  
ausus & ipse perit, & Patriam penè perdidit.  
Quid verò, quæ de proximo sumi possunt, exem-  
pla longius arcessimus? Illustrissimus Princeps  
cujus causa à nobis defenditur, decedentis Patris  
obitu, non magis patrimonium aut virtutis indo-  
lem, quàm meritis suis iniquam & adversantem  
fortunam & invidiam hæreditate crevit. Nam  
quis Illustrissimo Duce CHRISTOPHO RA-  
DIVILIO Palatino itidem Vlnensi, & Exercitu-  
um Magni Ducatus Lithvaniæ Generali, dum vi-  
veret, pacis & belli artibus instructior aut ornatio-  
r fuit? quis & in togâ prudentiâ, consilio, eloquio  
præstantior? & in armis, rei militaris peritiâ animi  
fortitudine & bellicâ laude eminentior existit?  
G quis

quis aut domi Parriæ libertatis acrior Vindex? aut foris Dux, hostis exiguâ manu propulsandi, peritior, in utrâq; pacis, quàm belli arenâ, laudabilius decertavit? Et pacis quidem decora totidem numerare potuisses, quòt ejus tempore Comitia Regni, aut publici Conventus celebrati sunt. Difficillimis temporibus, etiam in orbitate Reipublicæ, cum sibi sedendi ad rerum gubernacula provinciam fors obtulisset, quæ & quantâ illius, in tutandâ salute Reipublicæ curâ; quæ in tractandis populi animis dexteritas eluxit? quæ animi magnitudo simul & moderatio, in servando temperamento, ne aut illustris fortunæ suæ splendor oculos inferiorum nimium perstringeret, aut alio qui obvia cunctis & nimium sese demittere visa popularitas, vel minimum detraxeret dignitatî? Quibus eximiis artibus, id affecutus erat, ut etiam inimici, qui fortunam ejus odisse vellent, virtutem non amare non possent. Jam verò quoties foris aliquod periculum Reipublicæ increpuit, quæ fuit in gerendis adversus hostem rebus solertia? quæ consilii, quæ animi firmitas? quæ in prospiciendis futuris sagacitas? quæ in præsentî discrimine fortitudo? Ac fortè cum præstantissimo ex longâ Annalium memoriâ bellatore Gustavo Adolpho Sveciæ Rege, Ducem hunc fortuna commiserat,

quo minùs ipsi deesset ampla exercendæ virtuti  
materies; nisi istud ad certamen compositum,  
par, impari semper Marte decertasset. Quippe  
Gustavo Regi aderant semper vires, quantas  
Regiæ potestatis arbitrium postulabat. Nostro  
autem Duci non magis cum tam acri & valido  
adversario, quàm cum paucitate suarum copia-  
rum, & malignè suppeditato apparatu, luctam-  
dumerat. Et tamen noster, quod viribus de-  
erat, consilio & animo supplevit, eoq; eventu  
bellatum est, ut si unam Rigam excipias, (quæ  
antequam Princeps justum exercitum opponere  
posset, improvisâ hostis celeritate circumven-  
ta est: nec unquam postea ad eam recuperandam  
peditatum ac cætera necessaria obtinere per  
tempora Reipublicæ licuit) integro biennio, &  
quod excurrit, nulla arx, nullum oppidum in  
Svecorum potestatem venerit, quod non post-  
liminio mox in manus Principis redierit. Campe-  
strium autem cerraminum (præsertim ubi eque-  
stris acies explicari potuit) ea fuit fortuna, ut  
Principi sæpe acie configere cupienti nunquam,  
prælii copiam facere hostis ausus fuerit. Paulo  
post cum per injuriam impositum Principi ma-  
jori cum potestate Collegam, salvâ dignitate,  
ferre non esset integrum, ac proinde Princeps

militari imperio ultrò decessisset; non modò  
vulgatum est illud grande Livonici belli arca-  
num, nostros à Svecis acie vinci posse, sed penè  
tota Livoniâ amissâ, in ipsam Lithvaniam arma  
translata sunt, Birzensi arce, post iteratam obli-  
dionem, captâ. Cæso majoris Collegæ exercitu-  
redeundum Principi fuit, ad vim victoris pro-  
pulsandam, cum exiguâ & raptim collectâ ma-  
nu, Quem is tamen, licet imminutis & mul-  
tum imparibus viribus, eâ virtute sustinuit ac  
repressit, ut omisâ Lithvaniam & Arce Birzensi  
restituta, bellum in Prussiam transferre maluerit.  
Ita ille flos Ducum & belli fulmen metuendum,  
qui paulò post unus victrices Cæsarianas aquilas  
frangere potuit, qui intra biennium totam vi-  
ctoriis peragravit Germaniam, cum hoc semper  
exiguâ manu succincto Principe, in augusto  
Curlandiæ angulo aut vicinio limite, toto penè  
quadriennio luctatus, ne pugillo quidem terræ,  
de quâ utrinq; certabatur, auctior discessit à cer-  
tamine: Nam Riga nondum armato & reliqua  
Livonia (uti diximus) à bello gerendo perinjuri-  
am repulso Principe amissâ est.

Jam verò in bello Moschico, quæ & quanta  
Ducis hujns animi magnitudo, atq; solertia enitu-  
it. Illustria ejus specimina plenius memoraturis

nobis, eò promptius veniam dabit Lector; quò  
malignius ea vulgus Scriptorum, effectato silen-  
tio suppressere tentavit. Districtam fortè In-  
terregni discrimine Rempublicam inprovise  
bello invaserat hostis, Smolenscum magnis  
viribus oppugnare adortus. Adulto Autumno  
obsidium cæperat, Principe in mediâ Poloniâ  
Interregni curis occupato. Nec ante multo ex-  
actos Menses, justus & par coercendo hosti, com-  
parari poterat exercitus. Interea Vrbs validissimis  
copiis constricta, desperatione potissimum au-  
xilii periclitabatur. Ergò dum conscribuntur  
exercitus, dum necessaria bello apparantur, con-  
firmandis laborantium animis, ipse Dux advo-  
lat, nihil robur hostium, nihil paucitatem suo-  
rum, nihil anni tempus moratus, captoq; & mu-  
nito, in viciniâ hostium, Castris loco, nunc  
mittendis ad obsessos nunciis trepidos erigebat,  
nunc perpetuis excursionibus Castra hostium  
assultans, cum de propinquo obsidentibus im-  
mineret, non modò per integram hyemem ex-  
cubans, oppugnationem remorabatur, sed se-  
mel atq; iterum perruptâ hostium custodiâ, in-  
rroductis in urbem auxiliis, obsessis tantum  
virium & animi addidit, ut hostem usq; ad suc-  
cursum collecti justus exercitus, fortiter sustinuerint.

rint, Mox adventu S. R. Majestatis cum Polonicis copiis, quum Rex VLADISLAVS, distributis seorsim Ducum officiis, perrumpere ad obsessos diversis partibus aggressus esset, demando sibi munere tam dextrè perfunctus est, ut cum alii à castris Prozorovii, re improspere gestâ, non sine clade recesserint, ipse in oculis, atq; adeò in præsentia Regis, per montem Pocroviensem nullo accepto damno perruperit, urbemq; valido subsidio introducto firmaverit. Res alibi non ex animi sententiâ gesta, coeptum opus eo die differri coegit. Paucis post diebus igitur, Rege cum aliis Ducibus per Pocroviensem montem irrumpente; Duci Radivilio ipsa illa pars, in quâ recens non satis prosperè pugnatum erat, invadenda commissa est. Cautius ac felicius quàm alii nuper, tunc pugnantæ Principe, & hinc per hastatorum equitum turmas, ab eo constratâ hostium cadaveribus Borysthenis ripâ; inde Regis in Pocroviensi colle fortiter pugnantibus: utrobiq; res feliciter gesta, & Castellis hostiam partim vi occupatis, partim proximâ nocte præsidariis profugientibus desertis, Mons Pocroviensis castris Regis occupatus, & tota trans Amnem urbis vicinia, hostilia præsidia pulsa sunt, atq; ita,

Vrbs

Urbs per pontem castris Regiis conjuncta est. Hæsit, aliquandiu hostis cis Amnem, in castello-  
rum suorum præsiidiis, donec vicino mœnibus  
Castello à Principe oppugnato, & nisi culpâ quo-  
rundam (quos commemorari nihil attinet) inter-  
venisset, propè; captos; præterea accurrente nu-  
merosissimo hostium equitatu exiguâ manu  
fortissimè, repulso, tantum hostibus terroris in-  
jectum sit, ut proximâ nocte, valida illa Prozo-  
rovii castra, & octo præcipua Castella commea-  
tu & quibusdam tormentis, partim relictis,  
partim in fugâ abjectis deseruerint. Quos &  
reliqua manus obsidentium, cum majoribus  
tormentis, intrâ paucos dies secuta est, omnesq;  
in magnis Schinii castris, Monti Alaudarum,  
oppositis, armis & commeatu instructissimis  
receptum habuere. Liberata sic & ab annuâ ob-  
sisione recreatâ urbe, proximus labor fuit, hostis  
in vastissimis illis castris suis obsidendi. Lustra-  
tâ igitur priùs à Principe Regiis castris metandis  
idoneâ sede; monte Pocroviensî deserto, uni-  
versus exercitus, in opportunum ad Borysthenem  
locum translatus est, planè à tergo hostium, qua  
patebat in Moschoviam recedentibus iter, ut  
inter urbem & Regia Castra inclusi, faciliùs un-  
diq; cingi possent. Eodem impetu, nec opi-  
nante

nante hoste captus est Alaudarum collis, majori  
parti Castrorum Sehinii de propinquo ita im-  
minens, ut ab iis angustâ duntaxat valle dirime-  
retur. Quem locum è vestigio Dux Radivilius,  
tribus peditum legionibus, adjunctis paucis equi-  
tum vexillis, muniendum tradidit. Castra Regia  
paulo longius inde (interjectâ planitie) trans  
limosum fluvium posita sunt. Tam improvisus  
nostrorum adventus hostem incertum consilii  
reddidit, quod antequam is expedit, interea no-  
stri peringruentem mox noctem, metandis ca-  
stris & muniendo colli, aliquantum spatii ha-  
buere. Et aderat summo mane cum suo exerci-  
tu Dux Radivilius, metuens & excubans, ne col-  
le hosti tam vicino, nondum satis munito, ab  
hoste peditatu præpollente, dejicerentur impo-  
sita recens legiones. Sed nemine ex hostium  
Castris comparente, deflexo à Meridie Sole, jam  
equitatum in castra deducere cœperat, ipseq;  
ad eò arma posuerat, cum erupisse è castris Sehi-  
nii magnam vim peditatis, & recta ad collem  
Alaudarum tendere, nunciatur. Nec mora, ne  
armorum quidem induendorum spatio sumpto,  
secum obvium quemq; rapiens, reliquis propere  
sublequi jussis, revolat, multos hostium pedites,  
qui nondum ex planitie colli virgultis obsito  
succes-

successerant, retrò in sua castra reprimiit & in  
ipsis vallis, inter castra hostium & collem inter-  
jectæ, angustis faucibus, cum equitatu subsistit.  
Sed quia majorem jam hostilis peditatus partem,  
inter virgulta per acclive montis eitentem,  
ab impetu equitatus nostri tutum locus ipse  
præstabat, veritus ut impositæ colli præsidia tan-  
tam vim hostium ferre possent, nuntiat pro-  
perè Regiæ Majestati, ut quantum potest pedi-  
tum, à tergo collis subsidio mittat, sese cum  
equitatu interim in valle intermediâ tantisper  
mansurum, curaturumq; ne quid subsidii, è ca-  
stris hostium iis, qui ad expugnandum collem  
successerant, mitti posset. Concurrunt igitur in  
collem auxilio pleræq; peditum nostrorum  
legiones. Non se fellit hostem quantum interesset  
eorum, qui montem oppugnabant, ut è tam  
propinquis castris ex affluente peditatu, quo  
tunc nostratibus longè prævalebat, subsidia acci-  
perent. Sed prodire è castris nemo poterat,  
quin à parato & instructo equitatu, portam  
castrorum obsidente, statim protereretur. Nihil  
igitur in tactum, nihil inausum reliquit hostis,  
quò equitatum nostrum, ex illâ angustâ plani-  
tie depellere posset. Primum autem omni ge-  
nere tormentorum in vallem hanc de superiori

loco detonavit. Deinde quò latus istius vallis, in  
quâ equitatus noster constitit, manuariis quoq;  
tormentis infestum redderet, quia ripa Borysthe-  
ni vicina, virgultis contegebatur, clàm lintribus  
aliquot signa peditum transmittit, qui nostros  
ex transverso peterent. Quod ubi ex primis icti-  
bus animadvertit Princeps, unam peditum le-  
gionem ex iis, quæ colli suppetias ferebant, ab  
iis secernit, lævoq; lateri equitatus sui adjungit,  
ita ut hostes, peditatum nostrum per virgulta  
ad se vadentem sentientes, retrò non difficulter  
submoverit. Magna tamen prius, in equis præ-  
cipuè, nostratibus strages facta erat, cum hostes  
sclopetis ripæ impositis, capite tenus super eam  
extantes, per breve virgultorum intervallum  
latera nostrorum aliquandiu peterent. Hinc de-  
stinato inferiores ictus, & equis potius quam  
equitibus incidebant præterea cadentium virgul-  
torum lentitudine, quo minùs nocerent, refrin-  
gebatur. Plus terroris, & damni quoq; densis-  
sima tormentorum fulmina, de super ingruentia  
afferebant; nisi quòd ex superiori loco missiles  
globi rarius destinatos scopos attingebant. Itaq;  
non pro strepitu ac terrore stragem facere, atq;  
itidem equis magis quam equitibus nocere,  
qui quò longiùs à periculo abesse visi sunt, eò  
plures

plures sternebantur. Hinc multum inter equites nostros, loco tam iniquo cedere cupientes, trepidatum, nisi Dux Radivilius (quamvis tunc fortè exarmatus) per imbrem globorum, undiq; cadentium, inter vexilla volitans, & voce, manu, exemplo, deniq; pudore, cunctos, in quo semel constiterant, vestigio stare coegisset. Sævit hæc procella, usq; ad occumbentem Solem. Quo tempore ultimam eruptionem tentavit hostis, si quæ fortè reliquiæ suorum, quæ montè oppugnaverant, inter arbuta laterent, ut haberent, tutius ad castra sua perfugium. Sed & oppugnatores collis, concurrente prope universo peditatu nostro circumventi, occisione perierant, & qui è castris prodire sunt ausi, nondum explicatis ordinibus ab equitatu obruti, aut retrò in sua castra compulsi sunt. Tandem ingruentibus tenebris nox pugnam diremit, & fulminantia machinarum tonitrua conticuere. Sed possessio collis nobis firmata est, & hostis flore peditatus amisso, nunquam postea tam propinquas sibi munitiones, multò minus ulteriora castra, aggredi ausus est. Nulla toto isto bello dimicatio fuit, quæ plus momenti ad prospectum istius belli exitum contulerit. Cujus victoria & fructus, in expugnabili unius Principis hu-

his constantiæ ac fortitudini debetur. Prona inde nobis via ad conficiendum bellum aperta est. Fixo enim firmiter in locis illis occupatis vestigio, quæ tergum hostis amplexa, rectum iter in ulteriora Moschovix præcidebant, non difficile fuit, exstructis utrinq; ad urbem usq; frequentibus castellis, ac castris alicubi arboribus, tanquam indagine, hostem arctius cingere. Quapropter Rex, post tam prosperum certaminis successum, ab hoste tutior, parte exercitus cum reliquis Ducibus in hosticum emissâ, unum istum Principem retinuit, cujus opera & ministerio deditione hostibus extortâ, & amplissimis spoliis potius, gloriosum illum, & ad posteros memorabilem, de subactis, & abjectis ad pedes victoris vexillis supplice hoste, duxit triumphum, quem paulò post optatus nobis confecti belli exitus consecutus est. Quæ pauca ex rebus ab hoc Principe gestis delibavimus, ut ingentia & invidiam supergressa merita ejus ostenderemus. Quæ tamen eum ab hujus Monstri moribus immunem non reddiderunt, quo minùs & sub SIGISMUNDO Tertio Rege, indignissimis criminationibus traduceretur, & sub VLADISLAO (licet invito & favente) adverso alieni judicii exitu ac mœrore contabesceret. Victorem tamen invidiæ vel inde agnoscas,

agnoscas, quod & SIGISMUNDVS Rex in soniti  
conciliatus, innocentiam ejus benignè amplexus  
fuerit, & VLADISLAVS obitu ejus vehementius  
indoluerit, & benevoli animi affectum, quem  
Patri (sibi nec opinanti è vivis erepto) non potu-  
it, superstiti filio illustribus testimoniis exhi-  
buerit. Non igitur unus Principum JANVSSIVS  
Dux Radivilius fuit, in quem triste & abominan-  
dum invidiæ portentum rabiem & virulentiam  
suam effudit. Hæc eadem, ab omni ævo, in sum-  
mos quoq; & eminentiori virtute præcellentes  
Duces bellua defævit. Hæc Athenis Themisto-  
elem, post fugatum è Græciâ Xerxem, patriâ  
exegit. Hæc Romæ Scipionem, post fractum Han-  
nibalem, Linternum deportavit, eiq; urbem in  
quâ natus est, ob ingrati animi crimen, ad eò in-  
gratam & exosam reddidit, ut in eâ mori aut ci-  
neres suos recondi non sustinuerit. Hæc eadem  
antecessores, hæc majores Principis atq; ipsum  
Parentem non furioso duntaxat latratu, sed ra-  
biofo quoq; dente appetiit. Et quid igitur miran-  
dum, quòd à virtute ac vestigiis majorum non  
degeneranti (sublabente præcipuè quotidie in-  
deterius ævo) minimè pepercerit. Nec tamen  
ideo sanctas & illustres animas ulla infelicitas  
tangit, quod in hoc universi Amphitheatro,

hinc Diis, inde hominibus spectantibus, ejusmodi bestiis objectæ videantur. Certaminis tam excelsi non alius finis esset solet, quàm gloria certantium atq; victoria. Nec enim Deus ad ejusmodi pugnæ laudem admittit, nisi benè munita virtute pectora, cujus solido dentes belluarum imprimi nequeunt, quin illicò confringantur atq; dissiliant. Et quomodo insectorum venenatiora, amisso aculeo pereunt; ita qui virtuti genuinum imprimunt, & quorum vita, nisi nocent & mordeant, vitalis non est, dentibus & nocendi instrumentis exarmati, fædas & ignobiles animas, non in vulnere, sed in irritò vulnerandi conatu profundunt, aut verius unâ cum rabidi latratus spumâ exspuunt. Obruert istos sua nox, & sempiterna caligo in profundo oblivionis merget, ignoratos & illachrymabiles. Non ita vos (quibus hæc consecramus) Ætheræ mentes, quas ab omnibus, virtutem pretio suo æstimantibus, publicæ famæ, traditas, res à vobis gestæ & scribentium ingenia, sera in secula vitæ, ostendent posteritati.



